Canarien.

Eme, & Rme Dne: DVplici vice superioribus annis Fr. Gaspar de Herrera Religiosus Ordinis Hæremitarum Sancti Augustini Prouinciæ Canarien. dispotico gubernio subierat munia Prouincialatus, & prætextu huius replicati Officij ità rem disposuit, quod Religiosorum Animis partim amore allicitis, & partìm timore concussis, cæteræ quoque subsequentes Prouincialium Electiones ab eius nutu penderent, & tantùm eius malitia, fędaque morum prauitas excreuit, quòd relaxata pænitùs omni regulari disciplina ipse permittebat diù, noctuq; publicum alearum ludum in propria Cellula interuenientibus ibi mixtim Religiosis, & Sęcularibus, Officium Diuinum non recitabat, minusque celebrabat ampliùs Missæ Sacrificium, libellum formauerat infamem contrà Priorem, & Religiosos Couuentus Realexensis, & ex causa cuiusdam sui curandi morbi vtebatur etiam opera cuiusdam Mulieris quæ communitèr malefica, & continuò vendita veneficio reputabatur, vt constat ex documentis ab Aula Matritensi transmissis, & per medium Reuerendissimi Molines tunc temporis Regij Ministri in hac Sacra Congregatione exhibitis *Summ. Num.* 1. *litt. B.*

Parique modo non dissimilis erat viuendi norma aliorum quoque Religiosorum, inter quos Fr. Nicolaus de Torres Aduersarius, & Fr. Visitator Sebastianus à S. Hieronymo continuò diù, noctuque extra Conuentum morabantur in diuersis Domibus particularibus, vbi dimisso habitu Religioso publicum alearum ludum cum sęcularibus agebant, & se se cum retentis Mulieribus continuò miscebant *Summ. d. Num.* 1. *lit. C.*

Hinc R.P. Ioannes Sirac de eo tunc emeritus Prouincialis non valens tolerare huiusmodi publica delicta, prauamque Religiosorum vitam, ad denunciationem P. Prioris Conuentus Realexensis, & aliorum quoque sęcularium suum formare cæpit causæ Processum, tam contrà supradictos tres Religiosos, quam contrà Priorem Conuentus de Orotaua, & Rectorem Collegij de Garachico *Sum. d. Num.* 1. *litt. C. & D.*

Ad huiusmodi tamen inquisitionem prosternendam ferè illicò præcitati PP. Gaspar Herrera, Prouincialis absolutus, Nicolaus de Torres Aduersarius, & Definitor, & Sebastianus à S. Hieronymo Visitator tentarunt quamdam Congregationem intermediam conuocare, de quo habita notitia per Prouincialem Sirac, ac Priorem & Religiosos Conuentus Realaxensis isti omnes protestati fuerunt de nullitate *Summar. Num.* 1. *litt. F.* Sed non obstante huiusmodi protestatione, adhùc præcitati Religiosi delinquentes, & inquisiti volentes omni via, & arte prædicti Processus fabricationem

elu-

eludere, eamdem Congregationem intermediam vnacum eorum interuentu, & aliorum sex Religiosorum de Mense Octobris eiusdem Anni 1712. celebrari curarunt, vbi inter alia decreuerunt, quod omnes, & singuli Processus, & Inquisitiones factæ contra Capitulares, quoties non fuissent per Sententiam terminatæ per duos Menses ante huiusmodi Congregretionem Intermediam haberentur prò nullis, & inualidis, Rursùs per aliud Decretum impartiti fuerunt facultatem d. P. Gaspari Herrera Prouinciali absoluto, vt posset liberè morari, & habitare in Portu de Orotaua in aliqua particulari Domo, aùt Hospitio occulto cum obligatione tamèn Priori Conuentus Realexensis eum inibi manutenendi vna cum Laico perindè ac si in dicto Conuentu moraretur; Itidemque ordinarunt, quod restituerentur eidem P. Herrera Cellula, & Mobilia, ac supellectilia, quæ habebat in dicto Conuentu Realexensi, àc etiam vsusfructus cuiusdam, Vineæ, qua fruebatur propè eumdem Conuentum Realexensem, *Summario dicto Num. 1. litt. E.*

Appellantibus autem eisdem R. P. Prouinciali Sirac, ac Priore, & Religiosis d. Conuentus Realexensis ab huiusmodi Congregatione intermedia, & ab omnibus in ea nullitèr, & de facto resolutis, *Summario dicto Num.* 1. *litt. G.* & comperto interim, quod P. Herrera à Mense Martij vsque ad Mensem Iunij Anni 1713. plures dedisset Epistolas ad Serenissimum Regem Catholicum, *Summ. dicto Mum.* 1. *litt. H.* coactus ideò fuit P. Prouincialis Sirac licentiam, & facultatem concedere duobus Religiosis, nempè P. Francisco Llerena, & Saluatori Suarez, vt Romam peterent ad effectum certiorandi Reuerendissimum P. Generalem de omnibus ijs, quæ gesta fuerunt in Partibus, & præcisè ad effectum præueniendi, & arcendi scandala, dissentiones, & dissidia, quæ oriri poterant in Electione Prouincialis, quæ fieri debebat in proximo Mense Aprilis Anni 1714. *Summ. dicto Num.* 1. *litt. I.*, quibus primùm peruentis ad Aulam Matritensem exhibita notitia Regij Decreti de non recognoscendo in Ministrum Generalem Reuerendissimum Summaticum suum porrexerunt supplicem libellum Serenissimo Regi, vbi exponendo omnia gesta, & acta per P. Herrera, Nicolaum Torres, & Sebastianum â S. Hieronymo, aliosque eorum Asseclas in Capitulo intermedio ad solum finem dispotice celebrandi proximum Capitulum Prouinciale petierunt sibi super præmissis de opportuno remedio prouideri, remissisque sub die 6. Septembris 1713. eorum præcibus ad Regium Consilium, *Summ. dicto Num.* 1. *litt.*, *K. & L.*, auditoque D. Fiscali, ac re maturè discussa, tandem ex iussu, & determinatione Serenissimi Regis facta fuit deputatio cuiusdem personæ Ecclesiasticæ, nempè D. Gregorij Mercado, qui Partes audiret, & posteà referret, *Summ. dicto Nu.* 1. *litt. M. & N.*, vndè adductis coràm eo necessarijs, & opportunis documentis

ijs-

ijsque visis, & consideratis etiam per D. Fiscalem, iste omnia retulit ad Regium Consilium, & istud eam prouisionem suscepit vt nempè ordinaretur Capitaneo Generali, & Gubernatori Insularum Canariensium, quod informaret super statu prædictorum illius Prouinciæ Religiosorum, àc super scandalis, quę timeri poterant occasione proximè faciendæ celebrationis Capituli Prouincialis, & hanc Consilij resolutionem ipse met etiam Serenissimus Rex approbauit, & confirmauit, *Summario dicto Numero primo litt. O.P.Q.*

Dùm hæc agebantur peruenit interìm quę dam Epistola eiusdem Gubernatoris, ac Capitanei Generalis Insularium Canariensium directa Excmo D. Præsidi Ronchillo, notificando eidem dircordias, & scandanla eorumdem Religiosorum, & vnasimul testimonium perhibendo de optima qualitate, ac bonis moribus R. P. Prouincialis Sirac, ac transmittendo debitas, & opportunas iustificationes abundè conuincentes P. Herrera esse Originarium Authorem omnium scandalorum, & dissentionum illius Prouincię propter dispoticum gubernium, quod pænès se omninò retinere volebat, proùt ex tenore eiusdem Epistolæ Excmi Gubernatoris, ac Capitanei Generalis *Summ. d. num.* 1. *litt. R.*, *&* *S.*

Quia tamèn properabat tempus, quo deueniri debebat ad conuocationem Capituli Prouincialis prò facienda electione alterius Ministri Prouincialis iuxtà Constitutioues, & vsum, ac consuetudinem Religionis, cum Officium P. Prouincialis Sirac esset terminaturum de proximo Mense Aprilis anni 1714., ad quod deficiebant tantùm sex circitèr Menses, hinc P. Herrera, P. Torres, P. Sebastianus à S. Hyeronimo, P. Vargas, & cæteri Asseclæ curantes manutenere non solum ea omnia; quæ peregerant in supradicta Congregatione Intermedia, sed etiàm, & precisè prò habenda Electione futuri Prouincialis vnacum omnibus alijs Ministris, & Prioribus Ven. Conuentuum ad eorum omnimodum, arbitrium, & voluntatem grauitèr, ac scandalosè conspirarunt in P. Prouincialem omni cum laude gubernantem; Quocircà sub die 11. Octombris 1713. summo mane P. Magister Herrera associatus cum octo alijs Religiosis si ità vocari possunt armata manu potitus fuit Conuentu Realexansi, vbi conuocato quodam Conciliabulo, in quo duobus tantùm Definitoribus interuenientibus nempè P. Torres, & Iosepho Vargas, & sine vlla alia requisitione aliorum duorum Definitorum absentium superadditis in illorum locum alijs duobus ad eorum arbitrium, nempè P. philippo Pinto, & Petro de Aguiar statìm, & in continenti spræta, & concultata omni lege tàm Diuina, quam humana deuenitum fuit ad priuationem P. Prouincialis Sirac eumdem excommunicando, ac ordinando, vt in Conuentu Icodensi vbi repcriebatur Carceribus manciparetur *Summ. d. num.* 1. *litt. T.*, *&* *V.*, quare prædictus P. Sirac Prouin-

cialis habita de his omnibus notitia decreuit, & ordinauit, quod omnes Religiosi ab eo inquisiti, & processati, & ipse etiam Secretarius Prouinciæ Secumferens sigilla vnacum alijs Religiosis diuersorum Conuentuum, qui omnes sese tumultuariè coadunarunt, sub Imperio, & Deuotione P. Herrera in Conuentu Realexensi, vbi clausis Ianuis Conuentus, & Ecclesiæ, & derelictis Diuinis Sacrificijs in graue Populi Scandalum, & Animarum præiudicium, sese in liberratem asseruerunt, semetipsum P. Sirac prò eorum legitimo Prælato, & Superiore recognouerunt, & ad eorum Conuentus redirent, quodque Secretarius Prouinciæ, Sigilla reportaret sub pæna excommunicationis, & cum Notarius Religiosus è Conuentu de Orotaua accessisset ad alterum Realexensem prò notificando huiusmodi Decreto Religiosis Refractarijs inibi morantibus ingressus fuit per Ianuam Ecclesiæ, & dùm ibi orabat, aduenerunt præfati Religiosi Refractarij, & cum verbis iniuriosis, ac varijs ictibus eumdem vnacum Sæcularibus, qui occurrere voluerunt nō sine magno totius Populi Scandalo ab Ecclesia deiecerunt, & cùm posteà eumdem Notarium Religiosum ferè lacerum intrà septa Monasterij introduxissent, ipse adhùc parendo mandatis d. P. Sirac Prouincialis, vt par erat notificauit præcitatis omnibus Religiosis Refractarijs memoratum Decretum *Sum. d. nu.* 1. *litt. A.A.*, qua stante notificatione cùm adhùc non parerent, idem P. Sirac Prouincialis declarauit eos in excommunicationem incursos, ordinando, vt Cædulones publicè affigerentur, qua de re eodem Religioso Notario redeunte prò secunda vice ad Conuentum Realexensem, illos affixit super portam eiusdem Conuentus, sed exeunte statim à Conuentu quodam Religioso Bartholomeo Aluarez pre manibus baculum habente, prædictos Cædulones impetuesè lacerauit, & beneficio Populi aduentantis, occurrentis que præfatus Notarius aufugit illesus *Summ. d. num.* 1. *litt. B. B.*

Iàm dispersa, & confusa tota Prouincia malum continuò ingruebat, cum enim sub die 27. Octobris eiusdem anni 1.7 1 3.circà primam noctis horam tres Religiosi Refractarij ex illis Socijs P.Herrera ingressi fuissent Conuentum de Orotaua, vbi permanebat Pater Sirac Prouincialis, & cum eos interrogasset ex qua causa non reuerterentur ad eorum Conuentus, temerarium responsum dederunt, propter quod præcepit, quod in vnam Cellam abirent ibique tamquàm in Carcere permanerent; & cum huiusmodi præceptum subsanarent, dùm fiebat diligentia, vt in Carcerem detruderentur, alter ex eis, quemdam pugionem, seù Cultrum, quem detinebat occultum euaginauit, ipsam met P. Prouincialem vulneraturus, & alij duo cum baculis, quos secumferebant verberarunt duos Religiosos, & vnum ex eis cum Sanguinis effusione *Summ. d. num.* 1. *litt. C. C.*, de quibus omnibus certiorato per P. Sirac Prouincialem Excmo Gubernatore, ac Capitaneo Generali superiniuncta ei-

eidem illa alia quoque notitia, quod cum ipse P. Sirac Prouincialis discessisset à Conuentu de Orotaua, & petijsset alterum Realexensem non potuit illum ingredi proptèr inibì inuentas Ianuas occlusas ex ordine, & mandato Patris Herrera, & quamuis sese interposuisset Gubernator illius Loci, adhùc nihil profuit eius Authoritas, cùm omnes Religiosi Armis, & baculis onusti eidem Gubernatori responderint sese vsquè ad vltimam guttam, Sanguinis velle tueri partes Patris Herrera *Summ. d. num.* 1. *litt. D.D.*, vndè his omnibus auditis præfatus Capitaneus Generalis conuocauit primo loco Aduocatos Regiæ Audientiæ, & deindè etiàm Theologos Sæculares, & Regulares aliarum Religionum, qui dixerunt, quod omnes Religiosi prædicti Conuentus Realexensis vocarentur ad Domum D. Gubernatoris prò ijsdem Controuersijs componendis, & quatenùs nollent accedere, quod ipse Gubernator teneretur auxilium præstare eidem P. Sirac Prouinciali, cùm iste haberet suam Iurisdictionem inconrrouertibilem cognitam, & patentem *Summ. d. num.* 1. *litt. EE.*

Eodemque tempore Litteras quoque dederunt ad Eumdem Excmum Capitaneum Generalem alij Religiosi Refractarij plura narrando, vel falsa, vel æquiuoca tàm circà prætensam facultatem Definitorij de priuando P. Prouincialem, quod tamèn est omninò insubsistens, cùm Definitorium iuxtà Constitutiones Ordinis non habeat hanc potestatem, quam etiàm circà prætensos excessus eiusdem P. Sirac nullibi probatos, nequè iustificatos *Summ. d. num.* 1. *litt. F.F.*, & cùm idem Gubernator Generalis omnibus indistinctè respondisset, quod accederent ad Domum suæ habitationis, assecurando Religiosos Refractarios, quod P. Sirac Prouincialis contrà eos non procederet, atquè causæ cognitio super omnibus Superiori Generali reseruaretur, præfati Religiosi Refractarij sub varijs prætextibus venire recusarunt, desiderando semper prosequi inceptam conspirationem ad effectum omnia distribuendi ad eorum arbitrium in proximè futuro Capitulo Prouinciali, & tantùm accessit præfatus P. Sirac Prouincialis, qui nil aliud verè amabat, quam Prouinciæ restitutionem ad suam pristinam pacem, & Religiosam tranquillitatem *Summ. d. num.* 1. *litt. G. G.*

De huiusmodi facto monuit postmodum idem Excmus Capitaneus Generalis Aulam Matritensem dicendo P. Herrera fuisse Principalem, & Originarium motorem omnium discordiarum, & P. Sirac Prouincialem ex confessione eorumdem Aduersariorum esse Virum cæteris Religiosiorem, & doctiorem, & non ex alia ratione, quàm prò benè regulanda sua Prouincia pati huiusmodi iniurias, & contumelias, & insuper etiàm dicendo P. Herrera velle manutenere in Officio Administratoris cuiusdam Monasterij Monialium eiusdem Ordinis nouæ fundatidnis, quemdam suum Cognatum, violentèr operando, nè Moniales possent reuidere computa administrationis *Summ. d. num.* 1. *litt. H. H.*

Intereà verù cūm Consilium Regium sub die 5. Martij Anni 1714. ordinasset quod non perueuenta adhunc Informatione Capitanei Generalis interim suspenderetur celebratio proximi Capituli Prouincialis, & vna simul daretur Cedula Secreta eidem Capitaneo Generali, & in casuquo Pater Herrera, qui erat Principalis Promotor Scandalorum non acquiesceret, eidem intimaret, vt è Prouincia discederet, & ad Aulam Matritensem sese conferret, & consignato litterarum plìco eisdem duobus Religiosis in Villa Matriti existentibus, isti discesserunt, iter faciendo versùs Ciuitatem Gadicensem, & cum inibi non adinuenerint promptum Nauigium, regressi fuerunt Matritum, & iterum sub die 27. Aprilis dicti Anni 1714., exponendo huiusmodi factum supplicarunt prò opportuna prouisione, quę tamèn cum maior, & melior illa iam capta prò suspensione Capituli capi non potuisset, iterum cum eodem plico versùs Insulas Canarienses discesserunt *Summario d. Num 1. Litt. II.* parte

Ex alia verò parte &, ferè contemporaneè hicin Curia Reuerendissimus Pater Generalis Summanticus vna cum suò Definitorio Generali benè sciens, & agnoscens totum id, quod factum fuerat in Partibus per P. Herrera, eiusque Asseclas non esse nisi veram Conspirationem, ad effectum indè, vt in proximè futuro Capitulo Prouinciali fieret ad sui voluntatem, & arbitrium tàm Electio Ministri Prouincialis, quàm etiam omnium aliorum Officialium Subalternorum, hinc sub die 16. Aprilis dicti Anni 1714. duo vna simul edidit Decreta, in quorum vno cassauit, & annullauit supradictam Congreganionem Intermediam, quo ad ea, quæ concernebant fauorem P. Herrera *Summario Num. 2.*, & in altero solemnitèr declarando cospirationem factam per P. Herrera, eiusque Sectatores, pronunciauit ea omnia, quæ gesta fuerunr per dictum Patrem Herrera, priuando Reu. P. Sirac Ministrum Prouincialem, eumque excommunicando, & propria authoritate se ipsum asserendo Prouicarium Prouincialem eiusdem Prouinciæ, ac cætera alia armata manu, & tumultuariè agendo fuisse, & esse nulla irrita, attentata, violenta, iniuriosa, temeræria, & scandolosa, & insuper facultatem dedit Definitorio Prouinciæ formandi Processus contra prædictum Patrem Herrera, suosque adherentes, & contra ipsos procedendi vsque ad Sententiam definitiuam inclusiuè *Summ. Num. 3.*

Dum hæc tam in Curia, quam in Villa Matriti agebantur ad effectum reparandi tot, tantasque oppressiones, quibus Prouincia miserrimè præmebatur, interim Pater Herrera triumphabat, dum eueniente die 21. Aprilis Anni 1714. illicò celebrari curauit Capitulum Prouinciale, in quo & si Pater Prouincialis Sirac, ac P. etiam Megister Iosephus de Aghilera, & Angelus Fernandez tam nomine eorum proprio, quam etiam vice, & nomine omnium alio-

aliorum Religiosorum protestati fuerunt de nullitate Capituli, & omnium in eo agendorum proptèr apertam conspirationem dicti Patris Herrera eiusque Sectatorum, & quamuis ijdemmet Religiosi protestantes nouas etiam eorum protestationes, & reclamationes adiecissent, adhùc tamè illis non obstantibus P. Herrera curauit expleri Capitulum Prouinciale, in quo nullitèr, & de facto fuit electus P. Nicolaus Torres ad Officium Prouincialatus, & cæterę quoque peractæ Electiones subalternæ, quæ omnes ceciderunt in personas eorumdem Conspiratorum, vndè omnes præcitati Religiosi protestantes ab ipso Capitulo Prouinciali, omnibusque in eo per actis solemnitèr, ac solemnissimè ad Reuerendissimum Patrem Generalē, & ad Sanctissimum Dominum Nostrum appellarunt, & prouocarunt, & Pater Magister Sirac Prouincialis absolutus renuit subscribere Acta huius Capituli Prouincialis, vt liquet ex eorum Lectura.

Post hæc, & sub die 3. Iunij peruenerunt ad Insulas Conarienses illi duo Religiosi, qui secum ferebant plicum Regium prò suspensione Capituli Prouincialis, quibus statim notificato à Patre Iosepho Coto Priore Conuentus Ciuitatis Lacunensis quodam mandato de carcerando, adierunt Conuentum Patruum Dominicanorum, vbi per aliquod temporis spatium morati fuerunt *Summario Num.* 1. *Litt. L.* sed cum iam celebratum extiterit Capitulum Prouinciale, præceptum Serenissimi Regis pro illius suspensione nimis iusta ratione promulgatum effectuari non potuit.

De his omnibus Excellentissimus Capitaneus Generalis, ac Gubernator Insularum Canariensium certiorauit Aulam Matritensem, eidem exponendo totam Facti veritatem, & remittendo Iustificationes, & documenta, vt ex ipsa relatione eiusdem Gubernatoris, de qua in *nostro Summasio Num.* 4., vbi ipse Gubernator plenè testat. post Congregationem Intermediam habitam in Conuentu Realexensi totum, quod succedebat in Prouincia erat continua conspiratio *Summario dicto Num.* 4. *Litt. P.*, & vbi etiam implendo mandata de proponendis medijs opportunis pro pace Prouinciæ dixit, & proposuiit prò suo vnico, & opportuno remedio, quod P. Herrera arctaret. adire Matritum, & quando pietas Regia permitteret eius restitutionem ad Insulas Canarienses, quod assistere minimè deberet, nec in aliquo ex Actibus Prouinciæ, quod Frater Ioannes Guirola Secretarius P. Sirac Prouincialis, qui subripuerat Sigilla prò conspiratione in Conuentu Realexensi, prò benemerentia factus fuerat Definitor in vltimo Capitulo Prouinciali, non exerceat amplius eius Officium, quod Frater Iosephus de Vargas accedat ad Hyspanias, & in hoc (vt ait Gubernator) fiet magum Dei seruitium, quod Fr. Nicolaus de Torres Prouincialis electus tanquàm vnus ex Conspiratoribus Conuentus Rea lexensis, & totaliter Subordinatus, ac ven-

ditus arbitrio, & voluntati P. Herrera non exerceat munia Prouincialatus, quod Monialibus Conuentus Realexensis relinquatur liber vsus reddituum Monasterij, ac etiam libera facultas pro deputatione Administratoris, deyciendo quemdam Cognatum P. Herrera, ac etiam quemdam Presbyterum eius partialem eisdem Monialibus assignatum post per actum supradictum Capitulum, quodque demum Consilium Regium deputet personam, quæ arctet dictum Cognatum Procuratoris Herrera ad reddendam rationem suæ administrationis *Sum. d. Num. 4. Litt. R. S. T. V. Z.*

In hoc rerum statu peruentis ad Villam Matriti pluribus hinc indè Religiosis, & adductis ex parte P. Herrera, eiusque sectatorum nonnullis informibus Documentis à suis partialibus confectis, & extortis comparuerunt Partes apud Consilium Regium, & fuerunt omnia remissa ad Dominum Aduocatum Fiscalem Generalem, qui de mense Decembris anni 1714. declarauit omnia vidisse, eidem Regio Consilio relaturus *Summario Num.* 5., & facta huiusmodi relatione data fuit Cedula Regia, qua hoc negocium commissum extitit Reuerendissimo Episcopo Canarien. ad effectum, vt vna simul cum Excellentissimo Domino Capitaneo Generali Partes componeret, & Prouinciam sedaret *Summario Num. 6.*, sed cum idem Reuerendissimus Episcopus respondisset, se non habere opportunam facultatem, & ad huiusmodi effectum fore recurrendum ad Sanctam Sedem, ideò Serenissimus Rex Hispaniarum iussit R. P. D. Molines tunc temporis suo Ministro in Curia, quatenùs peteret à Sanctissimo Domino Nostro remissionem huius Causæ per Breue eidem Episcopo Canariensi, quapropter porrecto supplici libello Sanctissimo Domino Nostro, eoque remisso ad hanc Sacram Congregationem, vbi expeditis per eumdem R. P. D. Molines omnibus documentis in nostro *Summario registratis* dictum fuit sub die 29. Nouembris 1715. = *Eminentissimus Sanctæ Priscæ videat, & referat* = & relata postmodum Causa sub die 14. Februarij 1716. resolutum fuit vt infrà = *Episcopo Canarien. qui cum facultatibus Sac. Congregationis prouideat vsque ad Capitulum Generale in omnibus, & certioret Sac. Congregationem de executis = Summ. Num. 7.*

Expedito huiusmodi Decreto per R. P. D. Molines Administrum, eoque remisso ad Aulam Matritensem, & interim data permissione à Serenissimo Rege, vt Religiosi Ordinis Sancti Augustini in sua Ditione permanentes liberè valerent in eorum Ministrum Generalem recognoscere Reuerendissimum P. Summantium, aduenerunt postmodùm ad Vrbem de mense Maij, & Iunij proximè elapso ex vna Reu. P. Angelus Fernandez, & ex alia parte Reu. P. Nicolaus Torres assertus Prouincialis, & P. Iosephus Suarez eius Socius, & cum de eo tunc P. Generalis Summanticus, vti plenè de hac materia informatus, numquàm fuisset Capitulum confirma-

ma-

maturus, vt ipsemet testatur in sua Epistola, de qua in *Summario Num.*8. suum Generalatus Officium laudabilitèr terminasset, statim prædictus P. Torres secum ferens intèr cætera omnes pecunias propria auctoritate contrà prohibitionem Iuris, & Constitutiones Ordinis susceptas ex Arca Depositi Conuentus Lacunensis *Summario Num.* 9., apud Definitorium Generalem instare cæpit pro confirmatione sui Conciliabuli Prouincialis, & inuenit beneuolum Receptorem, cum Superiores Ordinis, excepto tantùm Religiosissimo, & Zelantissimo Viro Procuratore Generali, minimè dubitarent etiam more Belli ad petitam confirmationem deuenire, sed cum Causa iam reperiretur præcedentèr instructa in hac Sacra Congregatione, illicò reclamatum fuit ad R.P.D. Auditorem Sanctissimi, qui sub die 18. Augusti huius anni in contradictorio Partium declarauit Causam super nullitate, aut validitate Capituli Prouincialis spectare ad hanc Sacram Congregationem, attenta pendentia litis, & vna simul inhibuit eisdem Aduersarijs, ne quidquam alibi, quàm in Sacra Congregatione innouarent *Summ. Num.*10.

Post emanatum huiusmodi Decretum considerantes Aduersarij, quod si expectaretur factum, vèl relatio Episcopi Canariensis, vèl etiam R. P. Barcina Commissarij deputati per Reuerendissimum Summanticum Magnum eiusdem redundaret præiudicium, cùm indè tota rei veritas promicaret, ideò curarunt ab eorum beneuolo Vicario Generali obtinere reuocationem facultatis alias concessæ per Reuerendissimum Summanticum dicto P. Barcinæ, prout illam sub die 31. Augusti subsequentis obtinuerunt *Summario Num.*11., & postmodum ex abrupto intimata nobis Propositione Causæ in hac Sacra Congregatione statim citauimus coràm Domino Auditore Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Ponentis, habitoque contradictorio *sub die Lunæ 6. currentis* petebamus, & nimium iusta ratione, vt expectaretur relatio Episcopi Canariensis, sed remissa hac nostra Instantia ad hanc Sacram Congregationem, & communicatis, atque exhibitis contrarijs documentis sub *die tantùm Iouis 9. currentis*, vt nec minùs nostro muneri satis facere possemus, renouamus hodiè eamdem instantiam supplicando rescribi = *Expectetur relatio Episcopi Canariensis* = & obtinere confidimus, prout reuerentèr exoramus.

Quoniam vrget precisa necessitas expectandi relationem Episcopi Canariensis, tum attento stylo huius Sacræ Congregationis, tum etiam attenta dispositione Iuris, & quidem attento stylo huius Sacræ Congregationis, nam si & quoties proponantur Causæ non solet super illis capi resolutio, nisi prius circa veritatem hinc indè à Partibus expositorum audiatur Episcopus, non obstante, quod hic agatur inter Regulares, quia benè hæc Sacra Congregatio necessarium iudicauit esse audiendum Episcopum eidem rescriben-

bendo, vt prouideret cum facultatibus eiusdem Sacræ Congregationis, & de executis eamdem Sacram Congregationem certioraret, quando igitur hæc Sacra Congregatio rem commisit Episcopo, & notificationem de executis exquisiuit non debet hodiè assumi examen Causæ, nisi prius expectetur quid factum fuerit ab Episcopo, & quid per eum extiterit resolutum.

Prout etiam attenta dispositione Iuris, iuxtà quam cùm omnimoda facultas fuerit in hac materia eidem Episcopo delegata non videtur hodie congruum, vt hæc Sacra Congregatio cognitionem huius Causæ nisi prius intelligat quid ab eo in Partibus gestum fuerit, nam aliàs posset dari casus, quod Episcopus ab hac Sacra Congregatione Delegatus pro vno Sententiam tulerit, & Sacra hæc Congregatio de hoc penitùs inscia pro altero resoluerit, & sic ne detur absurdum Sententiæ contra Sententiam expectari, vtique debet relatio eiusdem Episcopi, *Felin. in cap. Significauerunt num. 8. de Iudic.*, *Marchesan. de Commiss. vnion. Causar. part. 2. cap. 5. §. Vnico numer. 5.*, *& sequentibus*, *Cardinalis de Luca de Iurisdiction. discurs. 76. num. 5.*, *Menoch. de Arbitr. casu 371. per tot.*

Nec obstat, quod disputatio concernens validitatem, aut inualiditatem Capituli Prouincialis, nihil commune habeat cum Instantia, quæ facta fuit per R. P. D. Molines ad Ministrum Serenissimi Regis, & super qua prodijt rescriptum huius Sacræ Congregationis, quia vltra quod in hac Sacra Congregatione non habet solùm fieri ista disputatio, vt perperam supponit Pars aduersa, sed vna simul habet quoque disputari alterum Dubium = *An, & quomodò sit prouidendum super scandalis in Prouincia exortis, & quibus etiam pœnis sint afficiendi Aduersarij*; nempè Pater Herrera, Pater Torres, & cæteri Sectatores, qui ausu temerario conspirarunt contra Patrem Prouincialem Sirach, quique totam Prouinciam sub eorum tyramnico, & dispotico Gubernio miserrimè oppressam detinuerunt, & adhuc detinent de præsenti; & ad lachrymabilem statum reduxerunt, dissipando Bona Conuentuum, in ijs retinendo Arma prohibita, & offensiua, permittendo publicum Alearum Ludum, pernoctando extra Claustra vna cum Mulieribus, dimittendo Habitum Religiosum, & mille alia gerendo, quæ pessimis Viris, non autem Viris Religiosis conueniunt, adeout Prouincia Canariensis ex facto eorumdem Aduersariorum non sit amplius Prouincia Religiosorum, sed Asylus malorum Hominum, vt liquet ex *nostro Summ. toto num. primo*, obiectum penitùs remouetur ex pluribus.

Et primo quia connexio, & inseparabilitas vnius puncti ab altero plenè liquet ex eisdemmet documentis per eumdem R.P.D. Molines, in hac Sacra Congregatione exhibitis, dùm ista omnia specificè, & indiuidualitèr concernunt nullitatem Capituli Prouincialis, vt benè

benè resultat ex nostro *Summario dicto Num. primo litt. II.*, ibi == *Per ouuiare quelli inconuenienti, che poteuano nascere quando si celebrasse il Capitolo dal Maestro Herrera per essere molto propinquo il tempo di celebrarlo*, & rursùs ex relatione Excellentissimi Gubernatoris, & Capitanei Generalis, *Summario dicto Num.4. litt. F.*, vbi narratur electionem Prouincialis, & cæteras cecidisse in personas, quæ conspirarunt contra Patrem Prouincialem Sirach, non ex alia ratione, quàm ex dispotico Gubernio Patris Herrera, qui cùm suis Sectatoribus totam Prouinciam ad sui libitum dominatur, seù, vt meliùs dicam desolatur, & plenè comprobatur *eodem Sum. d. n.4. litt. G., H., & P.*

Secundò quià ex ipsamet natura Rei constat adesse inseparabilem connexionem, nàm documenta exhibita ex parte R. P. D. Molines sub nomine Serenissimi Regis consistunt in relatione Gubernatoris, & Capitanei Generalis Insularum Canariensium data ad Consilium Regium, quæ est magni facienda, tamquàm exarata à Persona Illustri, & existente in faciem loci rursùs consistunt in alijs iustificationibus præcisè suadentibus conspirationem P. Herrera, aliorumque eius Sectatorum in Patrem Prouincialem Sirach non alio fine, quàm ad effectum celebrandi proximum Capitulum Prouinciale, iuxtà eorum voluntatem, itidèm consistunt in pluribus Decretis Regijs pro suspensione eiusdem Capituli Prouincialis, quæ proptèr inconstantiam Maris peruenire non potuerunt tempore opportuno, & deniquè consistunt in pluribus alijs actibus, ex quibus apparet fuisse priùs per P. Sirach Prouincialem decretam citationem aduersùs P. Herrera, Patrem Nicolaum Torres, aliosquè Religiosos Refractarios, & deindè fuisse contra eosdem deuentum ad promulgationem excommunicationis, & affixionem Cedulorum, toto *nostro Summ. Num. primo*, & signantèr *litt. AA.*, *& BB.*, quandò igitur hæc omnia Documenta concludunt apertissimam conspirationem, & præseferunt incursum in excommunicationem eorumdem Aduersariorum, & quis vmquàm negare poterit, quod hæc omnia influant pernecessè in nullitatem Capituli Prouincialis, cùm Capitulum celebratum præuia conspiratione, quæ in casu isto fuit vndiquè ænormis, quæquè comprobata remansit ex facto subsequuto, dùm omnes electiones factæ fuerunt in personas eorumdem Conspiratorum, dicatur ipso Iure nullum, & tale etiam sit quotiès, prout hìc suffragarunt excommunicati, & ille etiam, qui fuit electus nempè P. Torres, eodem quoquè vinculo excommunicationis reperiebatur innodatus, de plano assequimur Causam introductam in hac Sacra Congregatione ex documentis exhibitis, & Instantijs factis per R.P.D. Molines habere necessariam, & inseparabilem connexionem cùm Instantia, quæ hodiè fit exaduerso, cùm vnum pendeat inseparabilitèr ab alteró, tamquàm effectus à sua Causa, nequè possit judicari super

pun-

puncto prætensæ validitatis electionis, nisi priùs Judicium proferatur super puncto Conspirationis, & Excommunicationis.

Tertiò demum, quia habemus decretum R.P.D. Auditoris Sanctissimi *Summario Num.*10., quo Iudicata fuit huiusmodi connexio, & inseparabilitas, nam prætendentibus Aduersarijs, quod punctus ille super confirmatione prætensi Capituli Prouincialis remitteretur ad Patrem Vicarium Generalem, eiusque Deffinitorium, propter illam rationem, quod nihil commune haberet cum dissentionibus, & discordijs in Prouincia exortis, adhùc R.P.D. Auditor hanc quoque controuersiam remisit ad hanc Sacram Congregationem, non ex alio motiuo, quam connexionis, & inserabilitatis, dum subsistentibus omnibus gestis per Patrem Prouincialem Sirach, & sic excommunicatione P. Herrera, P. Torres, & aliorum sequacium, & subsistente etiam causa conspirationis, proùt reuera subsistunt, nascitur in necessariam consequentiam euidentissima nullitas prætensi Capituli Prouincialis. Vndè benè, & vsquè ad euidentiam promanat, quod vnus punctus est ab alio inseparabilis cum habeant inter se necessariam connexionem, & independentiam.

Accedente præmissis illa alia validissima facti circumstantia, quod Pater Torres Aduersarius sub specioso prætextu pendentiæ litis in hac Sacra Congregatione clàm obtinuit à beneuolo Vicario Generali reuocari facultatem aliàs datam per Reuerendissimum Summanticum Patri Barnabæ Baccina de visitando Prouinciam Canariensem *Summario Num.*11., propptereaque eò magis crescit necessitas expectandi relationem Reuerendissimi Episcopi, cum nimis clarè appareat Aduersarios nolle veritatem patefieri semperque odijsse lucem.

Nihil releuante si opponatur, quòd à die 14. Februarij 1716., quo data fuit commissio Episcopo Canarien. cum omnibus facultatibus hujus Sac. Congregat. effluxum sit tempus 22. mensium, quia si consideremus, quod decretum huius Sacræ Congregationis remittendum erat ad Insulas Canarienses, & indè debebat Episcopus sumere diligentem Informationem, & plures etiam Processus, formare contrà delinquentes, posteaquè suum proferre Iudicium, suasque sententias promulgare, & de executis hanc Sacram Congregationem instructam reddere, non est quid mirum, quod per spatium 22. mensium nondùm ad Vrbem peruenerit relatio ejusdem Episcopi, vltrà quod non est vlla attribuenda negligentia nostris Religiosis cum decretum Sacræ Congregationis non fuerit ab eis expostulatum, & expeditum, sed ab R.P.D. Molines nomine Serenissimi Regis, qui cum illud obtinuerit, & ad Aulam Matritensem remiserit, nulla subest hodiè ratio, nullumque

adest

adest principium, quo Aduersarij de Principalibus conquærantur.

Minusquè facit, si dicatur quod P. Torres Aduersarius iam terminauerit integrum triennium sui prætensi Prouincialatus, quodque Vicarius Generalis vna cum suo Definitorio tueatur Partes Patris Torres prò confirmatione Capituli; Nam quoad primum parum refert, quod fuerit expiratum Triennium, quia hoc interim fuit semper agitata Lis apud Consilium Regium in Villa Matriti proptèr Regiam Prohibitionem de non habendo recursu ad Patrem Generalem Summanticum, qui iam cæteroquin agnouerat nullitatem eiusdem Capituli, *Summario dicto Num.8.*, & vis non stat in terminatione Triennij quia hæc nullum Ius tribuit prætenso Electo, sed in examinanda electione cum omnibus suis circumstantijs antecedentibus, & concomitantibus, & valdè interest huic Parti, vt declaretur nullitas electionis non obstante lapsu Triennij, cum ità tàm Pater Torres assertus Prouincialis electus, quàm cæteri alij Definitores, & Officiales nequeant gaudere illis Priuilegijs, & prærogatiuis, quibus gaudent, & gaudere solent illi Religiosi, qui fuerunt legitimè electi Prouinciales, & Definitores, & iste punctus inter Partes est valdè præiudicialis, & considerabilis, cum ex subsistentia, vel insubsistentia huius Capituli remaneat, vel notabilitèr adaucta, vel diminuta Authoritas P. Herrera, qui vsque adhùc dispoticè dominatus fuit, & dominatur, & de præsenti totam Prouinciam.

Quo verò ad secundum quid quid sit de inclinatione P. Vicarij Generalis eiusque Definitorij pro pretensa confirmatione Capituli de qua tamen non constat, nihil de ea curandum videtur, quia vltra præoccupationem huic Parti bene notam sat est reflectere, quod hodie non examinatur causa apud Superiores Ordinis, sed apud hanc Sacram Congregationem, quæ non mouetur ex illorum suggestione, sed suas capit resolutiones ad tramites Iuris, cuique suum Ius, & Iustitiam ministrando, vltra quod in hac parte supplicamus humilitèr EE. PP. quatenus benignè dignentur reflectere ad duas circumstantias, quarum *altera* est quod P. Generalis Sumanticus vir omni laude dignissimus bene agnouit hanc nullitatem Capituli, & nunquam voluit pro toto tempore sui Generalatus illud coofirmare; *Altera* vero est, quod Religiosissimus Vir modernus Procurator Generalis bene conscius de tota facti serie, & solum Deum, ac Iustitiam, & honorem Religionis præ oculis habens semper in omnibus Congressibus exclamauit nullitatem huius Capituli, protestans claris verbis se nunquam fore subscripturum sententiam, seu decretum eiusdem Capituli confirmatorium.

Hæc sufficiunt pro nunc, & ad nostram Instantiam, at quando causa

pro-

proponetur tunc Deo dante nostra Iura deducemus, ex quibus clarè, & vsque ad euidentiam probabitur nullitas prædicti Capituli, seù Conciliaboli, & vna simul quoque demonstrabimus omnes angustias, & oppressiones quas patitur Prouincia ex Tirannica dominatione P. Herrera eiusque sequacium super quibus vnico eodemque contextu pro opportuna prouisione supplicabimus.

Quare &c.

Antonius Gerardus.

Sacra

CONGREGATIONE

Episcoporum, & Regularium

Emo, & Rmo D. Card.

GVALTERIO

IN LOCVM

Emi, & Rmi D.

C A S I N I

PONENTIS

Canarien.

P R O

Reu.P.Ioanne Sirac, alijsque Religiosis
Ord. Hæremitarum S. Augustini
Prouinciæ Canarien.

C O N T R A

Reu.P.Nicolaum Torres, aliosque Religiosos eiusdem Prouinciæ.

Memoriale Facti.

Typis De Comitibus 1717.